



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

Reverendissimo Cardinali, Atqve Illvstrissimo Principi, Carolo Borbonio,
Rothomagensi Archiepiscopo, Iacobus Billius, S. Michaëlis in eremo
Cœnobiarcha. S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](#)



REVERENDISSIMO CARDINALI,
ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,
CAROLO BORBONIO, Rothomagensis Archie-
piscopo, Iacobus Billius, S. Michaelis in
eremo Cœnobiarcha. S. D.

NTER plurimas notas, quæ Orthodoxos ab hæreticis dirimunt, hanc vel in primis numerandam haud immérito quispiā censuerit, quòd illi veteres Theologos, tanquam parētes, colunt ac suspiciunt, eorum vestigiis hærét, in eorum lucubrationibus, ingeniique monumentis libenter versantur, ab eorum placitis vel transuersum vnguem sibi minimè discedendum putant: hi contrà celeberrimos etiam quosque Patres, atque tum doctrina, tum admirabili vitæ sanctitate ac pietate præditos, inaudito quodam superciliosi aspernantur, ac velut de ponte deiiciunt, eos nunc probris & maledictis incessunt, nunc sannis ac dicteriis impetunt, eorumque, non verenda, ut degener ille Cham, sed, multò quam ille sceleratius, honestissimas corporis partes, hoc est grauissima & sanctissima dogmata, risui ac ludibrio habent: id denique omnibus modis agunt, ut eos, quos errorum suorum laqueis implicitos tenent, à præstantissimorum Authorum lectione dehortentur. Dicerem id ipsis ab interlando quodam fastu ac cæco sui amore profici, quemadmodum etiam reuera proficitur. Qui enim his vietiis laborat (laborant autem omnes, qui ab Ecclesiæ cœtu nefariè se præciderunt) minimè sanè mirum est, si reliquos omnes præ se despiciat, ac cerebri sui commenta quamlibet eruditis ac piis aliorum commentariis anteponat. Sed alia insuper huiusc rei, & quidem longè grauioris momenti causa est. Id enim perspicue vident homines callidissimi, si priscorum Ecclesiæ Patrum arbitrio religionis causa disceptetur, exploratam nobis ac tanquam in sinu conditam victoriam esse. Quos enim errores hac miserrima tempestate ab orco reuocarunt, hos à veteribus Theologis iam pridem confosso & iugulatoſ esse minimè ignorant: ut iam non tam hæresum inuentores (quod iis, qui gloriam in confusione querunt, nominis aliquid afferre posset) quam sepultarum effoſores dici possint. Cùm igitur in sanctissimoru virorum scriptis

E P I S T O L A

nobis certissimum præsidium constitutum, sibi crucem desixam, paratamque ruinam esse perspiciant, idcirco eos tanquam firmissimos Catholicos fidei propugnatores infensissimo animo auersantur, ac de omnibus manibus iublatos cupiunt. Testis est hac in re locupletissimus fidèq; dignissim⁹ ille hereticorū nostri tēporis signifer Lutherus, qui cūm Vicelīū (sic enim doctissimus Episcopus Nouiodunensis, nuper extremo vitæ die perfunctus, se aliquando ab ipsomet Vicelio accipisse nos semel mihi garrauit) adhuc in castris suis versantem, prisocrū Doctōrū lectiōne impensiū, quām vellet, delectari perspiceret, iniectus statim ipsi metus est, ne à partibus suis ille descisceret. Cūmq; ei magnoperè, sed frustrā tamē, vt huiusmodi libros ē manibus excuteret, author fuisset, tū deniq; de eo planè diffidere cœpit, symmīstifīque suis apertè predixit, eū ad Papisticū cœtū (sic enim eos, qui de religione recte sentiebāt, per cōtumeliā impurus apostata vocabat) breui redditurū. In quo etiā falsus vates minimē fuit. Nā hēc sagena ingētem illū pīscē ex cœnoso hæresis Lutheranæ gurgite in altū traxit, ac velut alterū Mosem diu à Pharaonis filia educatū, ac pestifera Ægypti doctrina infectū, ad veræ matris gremium reduxit. Nec verò hoc Vicelio solūm vsu venit, sed plerisque aliis, qui eiusdē fili adiumento ex prodigiosorū errorū labyrintho Dei benignitate tandem emerserūt: quēadmodū cōtrā innumeris hominibus vias antiquas, vt Scripturæ

Exod. 1.
verbo utar, neglexisse, ac prophanis vocū nouitatibus animū adieciſſe, capitali fraudi fuit. Quid enim ipsum etiā Augustinū impulit, vt de Christianæ pietatis curriculo deflechteret, ac diurno tempore Manichæorū, non tā decreta, quām portēta sequeretur, nisi quōd, vt ipsemet cōfitetur, in fidei salutisq; negotio cōſulēdos sibi potius hereticos, quām orthodoxos cēſuiffet? Quocirca cūm ij, qui euellūt ac deſtruunt, Christiq; tunica in ſexcetas partes lacerāt, ſuos, quām maximē poſſunt, à veterū lectione auocēt, ac Palæstinorū in morē ſalutares puteos nobis obſtruere conentur, an nō illi, qui plātare & edificare, atque eū, qui filios Dei dispersos in vnū cōgregauit, imitari ſtudēt, hinc apertissimē intelligēt, quām Ecclesiæ vtile ac fructuolum, imò quām necessariū ſit, quod illi, vt ſuæ cauſæ detrimentū ac perničiē allaturū, fugiunt, id ſequi atq; amplecti, piōſque Patres, ac de tota posteritate optimē meritos, nocturna versare manu, vēſare diurna?

Hier. 1.
Gen. 26.
Ioan. 11.
Lib. 5. hiſt. Soc. ca. 10.
Hoc clypeo, vt etiā olim Sifinnius animaduerit, hæreticorū mucrones retundi, aut, si veterū authoritatē apertè reiiciunt (vt perfidos homines facere nō pudet) singularis eorū audacia coargui liquidō poſtēt. Illūt quidē ſine cōtroueria eſt, Catholicos omnes, niſi quos, vt mare cadauerā, ſic improbissima vita ē piorū cœtu eiicit, hac maximē ratione in orthodoxa religione retineri poſſe. Eōq; nomine non paruā eos Ecclesiæ utilitatem afferre iudico, qui veterū libris emendandis & explanandis, aut etiā de Græco in Latinū cōvertendis, ac nouis accessio-

N V N Q V P A T O R I A.

accessionibus amplificādis, studiū suū & que operā impendūt, Theologisque materiā subministrāt, qua, tū ad propellēdos aduersariorum impetus, tū ad plebē optimis moribus instituendā, vt possint. Quo in genere cū multorū industriā elucere perspicere, egōq; etiā aliq; id iam, quod à piis quibusdā & eruditis viris nō illibenter exceptū fuisset, in lucē edidistem, ingens hinc mihi calcar ad idē studij genus prōsequendū additū videbatur. Sed partim fortunæ meæ parū ex animi sententia cōstitutæ, partim ἀληθινὰ bella, partim variis morbis attrita & penè profligata valetudo, currentē, tanquā iniecta manu, represserūt, ac ne me alto cōmitterem, verū extrema litteris orā legere, hoc est ne quid longioris operæ aggrederer, sed in iis, quæ minori labore ac breuiori tēporis spatio absolui possent, animū exercerē, admonuerūt. Nec tamē corporis imbecillitatit tantū in me iuris esse potuit, quin in Diuo Ioanne Damasceno vltra constitutū progrederer, vtrāque septa, vt prouerbio dici cōsuevit, prolīrē. Quod tamē casu potius, quām cōsultō & meditato cōtigit. Nam cū libros duntaxat de Orthodoxa fide, quos nō satis perspicuē, nec interdū ad Græci codicis fidē satis recte atque integrē cōuersos esse nōnulli querebātur, Latinos rursum facere decreuissē, perinde mihi vt fastidiosis agrotis accidit, qui, si multos ipsis cōfertim cibos ingeras, vniuersos respuūt, si autē deinceps eosdē adhibeas, omnes plerumque admittunt. Eodē enim modo cū libris illis ad vmbilicū iā perductis, opuscula quādā ab eruditissimo Cardinali Sirleto accepissem, iisque item absolutis, Parallelorū opus singulari Cardinalis Carafæ nobilissimi ac doctissimi viri beneficio & humanitate nactus essem, atque his rursum latinitate donatis, alia quedā à p̄xstatiſſimo iuris professore Iacobo Cuiacio, ac postremo Barlaamī historiā à clarissimo viro Ioāne Sanctādrea mutuatus essem, ita factū est, vt & dum mihi in singulis opusculis laboris finē proponerē, tædiū nunquā subrepserit, & opus tandem in iustū volumen excreuerit. De Damasceno autē, ipsiusque eruditione, quid longā orationē cōparare attinet, cū & quantus Philosophus fuerit, & quāta Theologiæ laude excelluerit, & quām studiose in Authorū, qui ante ipsum floruerūt, lectione versatus sit, abunde ipsius scripta testentur? Illud quidē negari non potest, eum primū extitisse, qui ea, quæ prius fusē ac liberē disputari solebāt, in vnū corpus coegerit, remque Theologicam via & ratione, longēque cōmodiori ordine tradiderit. Hoc enim ipse apud Græcos primus p̄xstitit, quod multò p̄st apud Latinos Petrus Lōbardus, cæteriq; Scholastici. Hūc igitur Authorē, et si minus amplū, quām cuperē (multa enim ipsius etiamnū apud Græcos extare audio, etiā tēporis iniuria multa interciderint) haud paulo tamē, quām antehac vñquā, ampliore, maximāque ex parte à me translatū, atque in iis etiā, quæ à Peronio & Zino cōuersa sunt, nō negligēter recognitū & castigatū, cū in lucē emit-

E P I S T O L A

tere pararē, sub cuius auspiciis prodiret, non mihi diu sicut cogitandū.
Nā cūm mē multis magnis que beneficiis tibi iam pridē obstrinxeris,
multo que etiā plura mea causa cupere p̄ te semper tuleris, morta-
lē omniū ingratisimus essem, si, cūm mihi per corporis infirmitatē
nec in tuo comitatu esse, nec vlla tibi officia p̄fstarē liceat, qua vna
in re possum, grati erga te animi significationē haudquaquam exhibe-
rē. Id autē vnu possim, quod litterariū otium suppeditat. Plura au-
tē fortasse suppeditasset, si mihi in Michaēlino nostro angulo, aut in
Regia insula, hoc est μαρέπων ρήοις, vt prius solebā, delitescere, atque in-
ter fluctus & nemora philosophari, contigisset. Sed mihi truculēti apri
vineæ nostræ peruastatores & inflammatores huiusmodi felicitatē in-
uiderunt. Quamobrē, vt Diui Petri verbis vtar, quod habeo, hoc tibi
do, nempē Ioannē Damascenum, clarissimū Græciæ lumen, qui cūm
maximis in patria sua muneribus dignitatib⁹sque aliquādiu perfun-
ctus, dextrāque manu religionis causa multatus fuisset, eāmque po-
stea diuino munere recepisset, sempiternarū reiū desiderio incensus,
non honores duntaxat ac vitæ ornamenta, sed opes etiā ac facultates,
amicos, parētes, ipsam denique patriā reliquit, vt meliorē patriā quæ-
reret, ei que totū se cōsecrearet, in quo, quicquid ipsius causa hīc relin-
quitur, multò certius autē ī que inuenitur. Quo etiā nomine, quam-
uis me officij mei ratio ad id minimē impelleret, meritō sanè atque
optimo iure ipsius Opera illustrissimæ tuæ dominationi nuncupare
deberē. Multa enim in te pijs omnes animaduerterūt, in quibus ad p̄-
clarissimi viri similitudinē & laudē proximē accedas. Quid enim? An
non ipse quoque dextrā tuā manū, quæ tibi scandalū afferebat, abscli-
disti, atque à te proiecisti, cūm scilicet iis, quorū tibi ardentissimum
amorē ipsa quoque natura in intimis visceribus ac medullis fixerat,
quām Deo carere maluisti, nec committendum putasti, vt carni &
sanguini plus apud te viriū esset, quām ei, qui non modò supra carnē &
sanguinē, sed supra etiā animā amandus & expetēdus est? An non in
illo memorabili superioris anni facinore oculum etiā tibi ipsi eruisti,
cūm Rothomagi, te p̄sente, lupus funestissimi edicti fiducia fretus,
in tuū, imò in Domini tui, ouile liberè grassaretur, ac tibi Regis indi-
gnatio, quam mortis nunciū esse Sapiens pronunciat, tanquā fortis
armatus occurseret? Fortē enim illum superueniens fortior alligauit,
zelus nimirū domus Dei, quo tum animus tuus ita repente conflag-
rauit, vt omni offensionis regiē metu propulsato, statim in latibu-
lum illud, in quo immanis illa fera p̄dās agebat, te cōferres, illīcque
ad errantes ouiculas eam ex tēpore orationem haberet, quæ doctissi-
morū hominum, qui tecum aderant, iudicio, non tam ex te manare,
quām à Spiritu illius vehementis, quo petræ conteruntur, afflatu at-
que instinctu proficii videretur. Quod si Damasco summa lau-
di ducendū est, publicorum negotiorum curā & administrationem

N V N C V P A T O R I A.

abiecisse, ut diuinarum rerum contéplationi sé totum addiceret, non multò inferiorem laudem is meretur, qui in altissimo dignitatis gradu collocatus, inter negotia otium sibi facit, nihilque magis invotis habet, quam ut ex aulicorum tumultuum vndis, si Ecclesiæ virtus ita postulet, in tranquillitatis portum fese afferat. Neque enim gratia & authōritate in aula florere, summam felicitatē, vt multi solent, sed vincula, sed compedes, ac speciosum carcerem esse arbitrari. Quid quod ita in aula degis, ut tamen nihil aulicum, hoc est nihil vafrum, nihil subdolum, nihil περιπον, in te mortales conspiquant? Neque enim vllis suis beneficiis hoc vnquā Circe illa efficere potuit, vt de nativa tua morū simplicitate demigrares, atque θηριόν τέρπον, vt Aristophanis verbo vtar, tibi colendum existimares. Quod vt apud aulicos irriteri ac vitio dari solet, ita apud optimos quoisque in maxima laude ac prædicatione ponitur: quippè qui, vt illi πλω διπλῶ, sic ipsi πλων καὶ οὐλῶς ἐλεύθεροι, mirifica commendatione dignum censeant. Iam si monastica vita, quā amplissimis opibus prætulit, sanctissimēq; coluit Damascenus, ingentem ei laudem conciliat, quis tam iniquus rerum aestimator erit, qui non te summis laudibus efferendum putet, cuius opera & contentionē sxpē perfectum est, vt complures huius instituti homines ea nullo suo labore, nullo sumptu, nulla temporis mora consecuti sint, quæ, nisi tuus fauor accessisset, nunquam obtinere potuissent? Ut enim olim tabernaculi velis ex bysso & coco & hyacintho contextis hoc cilicina vela & pelles externē prestatabant, vt ventorum atque imbrium vim, & puluerē ab ipsis arcerent: eodem modo, quod pietatis colendæ studio deuoti homines spiritualibus deliciis sine ullo strepitu fruantur, securique, vt D. Gregorij verbis Exod. 26. vtar, intima penetrant, ex tuo persxpē adiumento est, qui aduersus huius seculi procellas exterius laboras. His patronum, his optimum parentem te præbes: his præsidij, his sacræ anchoræ, his portus loco es. His non modò domus tua, sed etiam aures tuæ patent. His etiā temppla, his domos maximis sumptibus extruis. Hoc denique in eos animo es, vt nihil ipsorum causa facere queas, quo voluntas tua expleri possit. Quæ cum ita sint (multa enim prætereo, quod te virtute ipsa magis, quam virtutis præconio delectari sciam) rem me, tum ab officio meo non alienam, tum ipsi quoque Damasco gratam atq; iucundam facturū esse putaui, si ipsius monumenta illustrissimo tuo nomini consecrarem. Quod tu, velut εὐχεισθειον munus, ab addictissimo tibi cliente profectum, vt grato animo accipias, te iummoperè rogo ac supplex obsecro. Dominus Deus illustrissimam tuam dominationem ad Ecclesiæ suę utilitatem quam diutissimè in columem seruet. Ex Dionysiano Cœnobio, Nonis Maij, 1577.

† iiiij